

Brunckins tamen ad Arist. Lysistr. l. c. de contra-
cto θώπλα (ita enim plerumque exaratur) sic iudi-
cat: *quum aspiratio transierit in litteram φ, ne-
cessere non est, ut spiritus asper adpingatur: scribo
itaque θώπλα, quod in aliis similibus obseruatum.*
Sed scribit tamen ille χώ, χώπως et similia. Vnus
Wolfinus nuper contra communem usum scribere coe-
pit χώ, χή etc. Verum in apostropho quidem ea lex
non obtinet; constanter enim scribimus νύχθ' ὄλην.
Immo antiqui Grammatici quum in medio vocabulo
litteram φ cum tenui littera coniunctam spiritu leni
notarent scribentes Ἀτρέψ, καπόδες, asperum spiri-
tum ponebant, littera aspera praegressa, veluti θρό-
νος, χρόνος. Vid. Villoison. Aneidot. II. pag. 121.
Scripsisse igitur etiam putandi sunt θρέψω, θρέξο-
μαι, licet in his littera φ iam spiritum contineat.
Hinc minime inepta mihi videtur eorum ratio, qui,
utroque et spiritu et contractionis signo coniuncto,
scribunt χώ, χώπως, θώπλα, θόνημαῖον etc.
Minorem totus hic locus difficultatem habitu-
rus fuisse, si Grammaticis placuisset proprium
quoddam a spirituque leni diuersum craseos signum
introducere.